

~~W. 4. 17.~~

1) Pfaffrad, c.
2) Carpnow, B.

N. VI. 49.

R. N. f. A.

INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. B. Chemnitii,

DISPUTATIO XI.

Ex quâ,

DE

UNIONIS PERSONALIS
NATURA ET ESSENTIA,

Prefide

JOHAN-BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.
Licentiato, Profess, Publico, & ad D. Thomz
Ecclesiaste;

Respondente

M. JOHANNE COLBERG, von Colberg/

Die 2. Novemb. boris Pomeridianis Anni 1648.
disputabitur.

LIPSIAE,

Typis HENNINGI COLERI.

INTRODUCTIONIS AD TECOS

DISPUTATIONIS

ANNUALIA

EX LIBRIS

СИАНІА ПІДГОНІЯ
ДІСПУТАЦІЯ ВІДВІДАНИЯ

JOHANNES FRIEDRICH CATHERINA SCHEIBEL

БІЛКОВІЧІВСЬКА ГІЛЬДІЯ ТЮРХІВ

MEMBRUM II.

De

Unionis Personalis Natura & Essentia.

I. In Christo sunt & manent quidem due distincta ac diverse Naturae, non tamen separatae sunt, sed hypostaticâ Unione copulatae ad unam hypostasin unitae Chemn. c. 4. p. 23. Et c. 5. p. 27. b.

*Disput. XI.**Respond. M.**Johannes**Colberg**von Col-**berg Pem.*

§. 1. Hinc Filii DEI hypostasis post Incarnationem non est simplex, sed *composita*, de quo discriminere videatur Chemn. cap. XIX. p. 121. b. & Gerhard. Exig. §. 121. p. 124.5. Confer etiam ex praeced. C. III. M. I. Aph. I. §. 2. p. 149.

§. 2. Probatur autem (1.) ex dictis illis omnibus, quibus dominus Dominus ac Christus dicitur. Cor. IIX. 6. 2. Cor. V. 14. XI. 2. 2. Tim. II. 5. Rom. XV. 5. Matth. XXIII. 8. p. 23. a.

§. 3. (2.) Ex illis textibus, in quibus Incarnatione describitur, 1. Tim. III. 16. Job. I. 14. Ebr. II. 14. 16. Gal. IV. 4. Rom. I. 3. Col. II. 9. 1. Job. IV. 2. 3. Haec enim dicta omnia, licet ex a quo sece non habeant, sed quædam formaliter Incarnationem exprimant, quædam verò statum post Incarnationem in Christo indiciant, ut Col. II. 9. Et 1. Job. IV. 2. 3. omnia tamen Unionem probant,

§. 4. Probatur id (3.) ex illis locis, in quibus Christus & DEUS & homo appellatur, Luc. I. 36. Matth. XVI. 13. Jer. XXIII. 6. 1. Par. XXIX. 17. nisi enim Natura Divina & Humana in Christo unitæ essent, non possent de Christo prædicari.

§. 5. Ex quibus omnibus oppidè liquet ac manifestum est, duas in Christo esse naturas, non Divinam tantum, neq; humanam tantum, sed utramq; & quidem neutram separatim, sed in unito statu utramq; existere. Sic autem exinde argumentari possumus,

A

Qui

Qui est DEUS & Homo, ac Unus Dominus, in illo sunt Divinitas & Humana Natura Unitæ;

CHRISTUS est DEUS & homo, & Unus Dominus:

E. in Christo sunt Divina & humana Natura unitæ.

Vid. B. Meissner. in Magn. Piet. Myster. b. 81. seqq. Gravver. Art. III.

A. C. p. 23. seqq. Gerhard. in Exeg. §. 125. seqq.

§. 6. Neq; obstat Carnis finitudo & Alys infinitas. Non enim per capacitatem ad aquatam, esse talem & in infinitam seu physicam & Mathematicam duæ naturæ in Christo coëunt, sed ut Chemn. id cap. VI. p. 41. a. explicat; per Unionem Hypostaticam talis proportio inter Divinam & humanam Naturam sit, ut inde unum constituantur & cōsideretur, ac duæ illæ Naturæ inter se intimæ & præsentissimæ copulatione Unitæ sint cōadiutoriæ regi cōadiutoriæ inseparabiliter & indistanter. Vid. Mentzer. in AntiMartinio p. 46. seqq. 244. & 411. Meissner. in Magn. Piet. Myster. b. 91. Gravver. c. 2. Absurdor. Calvinist. p. 126. 127.

§. 7. Et ita omnino esse oportuit. Nam etsi Filius DEI Incarnatus non fuisset, si homo in peccatum non esset prolapsus, de quo prolixè agunt D. Frantz. in disput. IX. T. III. Wittebergi. b. 40. seqq. p. 603. Gravver. in Art. III. A. C. p. 81. seq. Gerhard. in Exeg. de Pers. Christi §. 142. seq. p. 1276 seqq. Paul. Tarnovius in Johan. p. 297. ad 307. tamen patrato jam lapsu totum genus humanum aut relinqvendum erat in miseria sua, aut Mediatorem ejus oportebat esse Deum & Hominem, quod toto cap. XI. p. 686. & seqq. Chemnitius ostendit & ex antiquitate veneranda illustrat. Vid. Disq. D. Winckelmanni de quæstione: Cur Mediatorem nostrum DEUM ac Hominem in unitate Persona esse oportuit? qvæ est Disq. VI. T. III. Marpurg. p. 112. seqq. & B. Gerhard. in Exeg. §. III.

πολεμουει.

E. Unio Personalis religiosè credi ac considerari debet.

§. Duo hic devitanda sunt extrema. Unum est nimia curiositas. Alterum vero supina negligentia. Qvia enim mysterium est magnum

magnum, & quidem ὄμολογόνεται, i.e. extra controversiam, seu Confessione omnium tale, 1. Tim. III. 16. oportet intra terminos Divinæ patesfactionis nosmet continere, nec aliquid in hac Doctrina ex nostris cogitationibus vel nudis consequentiis statuere, de quo nec extant certa, firma & perspicua testimonia in Scriptura. Chemn. in prefat. lib. de Duab. Nat. c. IV. p. 26. b. VII. p. 27. a. Econtra, qvia Petra Salutis nostræ est Marib. XVI. 18 & in eo vita æterna ac Justificatio nostri consistit Job. XVII. 3. Esa. LIII. 11. ac Persona Christi Mediatoris ita agnoscenda, invocanda ac celebranda est, qvòd ex Unione Hypostatica duarum Naturarum Unum factum sit υφιστάμενον, constans duabus Naturis & subsistens in duebus Naturis, gratâ mente id amplectamus, & contenti simus mediocri explicatione, qvæ quidem ad fidei ædificationem & ad consolationem sufficiat. Hæc satis inculcare non potest Chemn. in prefat. it p. 31. a. b. 40. a. 41. b. 47. a. & multoties adverte et jubet, qvum disparti ratione doctrina hæc tractata à Partibus fuerit, & postea spinosis disputationibus à Scholasticis scriptoribus involuta, p. 74. &c.

II. In constituenda autem *Definitione unionis Personalis* cautè procedi debet, ne implicetur magis qvam explicetur Mysterium hoc, Chem. c. IV. p. 24. seq.

§. 1. Oletendit hoc ibidem partim ex *Definitione* satis artificiosa è nonnullis constituta, & tamen multis ac prolixis declarationibus postea explicanda; partim ex *Disputationibus* natis in doctrina hæc ex *Definitionibus* non plenis sed angustioribus.

§. 2. Non equidem negat Chemnitius definiri posse Unionem Personalem, multò minus improbat eorum studium, qui juxta artem definendi Definitionem dare satagunt, sed totus saltus est in sufficienti declaratione Unionis Personalis, arbitrio lectoris relinques, an delineationem hanc Descriptionem, an vero Notationem appellare velit p. 26. b. ut neminem offendere debat delineationis p. 25. a. & b. prolixitas. Non enim fumos aut

mera verba vendidit in illa, sed omnia quæ ad Unionem Personalem pertinent, expressè, disertè & distinctè proposuit, & in breviorem formam contraxit, p. 26. a.

§. 3. Scopus præterea Chemnitii fuit, non ipsam Unionis Personalis Formam tantum, sed etiam ejusdem tūm Causas, tūm Consequentia & Effectus exponere: non quod pro uno eodemq; hæc haberet, aut ignoraret distingvere hæc, sed ut ex Causis & Consequentibus Unionis Personalis Formam rectius, facilius & pleniū declararet & explicaret, Chemn. p. 24. a.

§. 4. Atq; ita obviare voluit calumniæ Jesuitatum & Calvinistarum Bellarmini l. III. de Christo c. 8. f. 103 Polani l. VI. Syntagmat. Theol. c. 16. Col. 24. 27. quā nostris Theologis affingunt, quod in ipsa Idiomatu Communicatione totam Unionis hypostaticæ Essentiam collocent. Claram enim Chemnitius hīc distingvit inter ipsam Unionis Personalis Formam, & inter eam Consequentia, & non semel tantum repetit, in nostris Ecclesiis Unionem Personalem non definiri Communicatione Idiomatum c. XXIII. 159. a. & alibi. Unde omnes Orthodoxi DD. ab initio certamnis hujus usq; ad hæc tempora ostenderunt, aliud esse formalem rationem rei alicujus in consequentibus pōnere, & aliud, rem ex consequentibus suis explicare & à posteriori describere, & non prius sed posterius à nobis fieri, id quod etiam Gregor. de Valentia l. II. contra D. Jac. Andree c. 1. f. 343. agnoscit. Vidi. Form. Concord. in Art. IIX. Chemnit. c. IV. p. 24. b. & c. V. p. 32. a. B. Meissner. in Magno Piet. Myster. q. 100. & B. Garhard. in Exegi Loc. de Christo, §. 137. p. 1272.

III. Causa efficiens unionis Personalis est S.S. Trinitas. Chemn. c. V. p. 27.

§. 1. Vocabulum Unionis non tantum pro ipso actu s. unitio ne accipit noster Chemnicus, quod Membr. l. Theor. IV. §. 4. & c. annotatum à nobis est, sed & insuper dñmns id sumit pro toto Incarnationis Opere, quod Carnis formationem, formatam assumitionem, assumē unionem in se complicitur, unde & definit Unionem

dem, quod sit actio totius Trinitatis, quia obumbratione Altissimi & superventu Spiritus S. Divina Natura Filius ex Maria Virgine humana Naturam in Unitatem Personae suae assumpsit, Et de quibus actionibus quomodo differant, & se invicem comitentur & excipiunt, Videatur B. Meisner. in Magn. Piet. Myster. §. 3. & in Schola Acad. Disp. I. §. 46. Gerhard. in Exeg. §. 112. & 135. Dorschbus in Pentadec. dissert. ex Jerem. XXXI. 22. §. 49. & seqq.

§. 2. Omnino autem Unio ita duxit summa toti S. S. Trinitati tribuenda est, quod etiam dicta à Chemnitio p. 27. 4. allegata vincunt. Tota enim S. S. Trinitas decrevit hanc unionem Epb. I. 9. Pater misit Filium suum, Gal. IV. 4. & suscitavit Davidi germe Jer. XXIII. 5. Filius assumpsit Carnem Job. I. 14. Heb. II. 16. Spiritus S. verò & fecundavit Virginem & inassum seminalem in Maria ex qua concipi debebat Christus; sanctificavit, & ab inhærente labo purgavit, quod per Verbum ē̄wēp̄xē̄d̄ Luc. I. 35. significatur, & ḥ̄t̄m̄d̄c̄, uti Chemni. c. IV. Harm. Evang. p. 122. id eleganter explicat. Vid. Meisner. in Magn. Piet. Myster. §. 16. seqq. Gerhard. Exeg. §. 102. Unde & Angelus ad Josephum dicit, Matheb. I. 10. Tō c̄v Māp̄ix̄ r̄v̄n̄j̄ esse ē̄n̄ n̄v̄l̄ p̄d̄l̄ c̄z̄s̄. & c̄m̄p̄ūt̄n̄ō̄s̄; & d̄l̄d̄ā ū̄n̄w̄p̄p̄īn̄ō̄s̄ ut Damascenus l. III. de O. F. c. 2. exponit. Chemnitius quidem in Harm. Evang. c. VII. p. 156. confert phrasim hanc cum illa Gen. XXXIX. 25. Ex viro suma grava; Sed non ad materialē Causā ibi etiam connotatam respicit, sed tantum ad causam Efficientem, ac efficacem Operationem. Meisner. l. all. §. 15. Gerhard. l. all. §. 107. p. 1226.

§. 3. Atq; ex hisce concludunt Theologi nostri, Incarnationem, quæ est opus ad extra, esse totius S. S. Trinitatis opus rationē decreti & formationis Carnis in utero Mariæ, sed solius Filii, ratione Assumptionis, Meisner l. all. §. 64. Gerhard. §. 103.

§. 4. De ipsa autem Assumptione & Unione, prout formationi Carnis contradistinguitur, quæritur, an soli Filio tribui possit, cum & illa sit opus ad extra, tendens in subiectum aliud extra Deum, quod DEUS non est? Et si hoc est, annona, quod Vorstius in Tract. de DEO p. 185. inde concludit, diversum opus Filio tribuat, quia ē̄w̄j̄s̄, ab extra aliud egerit, quam Pater & Spiritus sancti?

Johannes de Rada in *Controvers. Theol. inter Thomam & Scotum*,
 part. III. Conr. I. Art. 6. p. 30. questionē movet: *An Verbum respectu
 Unionis & assumptae Naturae habuerit aliquam peculiarem actionem
 & Causalitatem, quam alia Personae non habuerint?* Et per negatio-
 nem responderet. *Rationem etiam ex August. l. 1. de Trinit. c. 4. non
 inidoneam allegat, quod scil. omnes tres personæ Divinæ sicut
 inseparabiles sint in *Essentia & Virtute* agendi, ita etiam insepara-
 bilitate operentur. Distinguere autem inter ipsam Assumptionem, ut
 Operatio Divina est, & ut operatio ista terminatur in Persona
 &c. Prior modo communem esse Patri & Filio dicit, posteriori
 vero modo soli Filio competere. Hanc distinctionem quæ etiam
 Thomas est. qv. 3. Art. 4. item Eustachii Disq. F. in 3. Sent. §. 6. appro-
 bat D. Feuerbornius in Disp. IV. Fas. III. 8. 63. seqq. quoad ope-
 rationis communem Causam Efficientem. Nimurum, quia As-
 sumptio est Opus ad extra, cum sit actio libera, & in Objectum,
 quod est aliud à DEO, nempe Humanam Naturam, tendat; Pa-
 ter & Spiritui S. u. alio s. Operatio est, detegari nequit? Pater
 ac Spiritus S. entia Assumptionem istam operari suar, & effe-
 rent, ut Filius assumetur. Ut vero terminatur in Persona Filii
 DEI ista actio, & in Persona à Filii DEI assumitur Caro, ac Divina
 & Humana Naturæ in illa Persona uniuersit, etenus Filio soli
 competit. Terminatio autem in solo Filio intelligenda est non
 solum passivæ, quomodo due sorores tertiae imponunt tertium,
 quod hæc solummodo passivæ accipit, sed etiam activæ, quomo-
 do Pater & Mater adducunt filiam suam sponsu, solum autem
 sponsus eam dicit in uxorem; estque solus assumptionis hujus causa
 formalis proxima. Unde non sequitur: Patri & Spiritui Sanctorum
 tribuitur Assumptio: E. Pater & Spiritus S. assumunt Carnem.
 Aliud enim est Operari assumptionem Carnis: Aliud assumere
 Carnem, vel ut B. Mentzer. late id exponit in Anti Martinio p. 440.
 & seqq. Aliud est Operari Unionem, Aliud formaliter & proxime
 constituere Unionem. Ut assumat quis Carnem, non sufficit Ope-
 ratio solum, sed etiam oportet ipsum esse terrainum, qui for-
 maliter unit & in quo uniatur Caro & fiat Unio. Pater & Spir-
 itus S. non sunt terminus in quo Assumptionis, sed solus Filius
 per-*

Personarum. Licet enim omnes tres Personæ eandem numerο habeant Naturam, non tamen habent eandem hypostasim. Hinc quia Unio non facta est ad Naturam, sed ad Personam ex Tribus unam, scilicet Filium DEI, & verò hæc Persona non est Communis Patri & Spiritui S. sed solius Filii, omnino inde sequitur, solum Filium assumisse Carnem Humanam, pro modo Causæ formalis proximæ. Ethoc fatetur Rada dicens: *Rationem terminandi Assumptionem esse Personalitatem Verbi, non communem cum Patre & Spiritu S. Deitatem.* Saltem in hoc dissentit à Thoma & Gandavensi quod non solum peculiarem influxum $\lambda\gamma\zeta\varsigma$ in Assumptionem Humanæ Naturæ, illi denegat, quod ad influxum cause efficientis, sed etiam quod ad influxum cause formalis constituentis ipsam Unionem. Alberg. ad Dist. 1. l. 3. q. 5. & Scotistæ alii. Dupliciter ergo modo spectatur Assumptio & Unio. Unde ut Operatio quædam est: Altero vero ut facta, terminata est ad solam Filii Personam. Unionem & cætera quæ in unitate Carne facta sunt, omnes tres Personæ operatae sunt: sed Filius solus fuit illius terminus s. finis, quia in Persona ejus Unio Naturarum facta est. Sic fieri potest, ut tres aliqui operentur ad vestitionem, quorum unus tantum vestem induit. Ita disputat Anselmus Cantuariensis l. de Incarnat. Verbi ad Urbanum Papam & ante eum Teriull. l. advers. Praxeam: itemq; Epiphan. & Auguſt. de heret. Ethoc voluit Damascenus & Chemnitio p. 64. citatus, quando dicit: *Pater & Spiritus S. uero & deus $\lambda\gamma\zeta\varsigma$ nullaratione communicaerunt Carni Verbi, nisi secundum Divinas Operationes, beneplacitum & voluntatem.*

IV. Forma Specifica Unionis Personalis facilius per $\lambda\gamma\zeta\varsigma$ quam per $\theta\sigma\tau\omega\varsigma$ determinari potest.
Chemn. c. V. p. 28. a. b.

S. 1. Est enim $\lambda\gamma\zeta\varsigma$ uero $\theta\sigma\tau\omega\varsigma$ b. e. Singularis & præ reliquis modis Unionis eximia ac ab omnibus aliis modis excepta, sicut Justinus & Epiphanius loquuntur p. 28. a. Unde Cyrillus & Damascenus in Investigatione Unionis Personalis ita procedunt, ut separatis ac remotis modis peregrinis Unionis tandem ad hanc mysticam descendant, p. 45. a.

§ 2. Etsi autem variae sint Unionis species, quas etiam expor-
nit Chemnicius longâ serie cap. VII. p. 46. cuius vestigia leguntur
B. Meissn. de DEO in Carne manifest. §. 77. 78. 79. B. Gerhard. ipso
Exeg. §. 116. 117. 118. 119. p. 1238. B. Gravvius. Art. III. A. C. p. 29. seq.
tamen ut in Compendio dicamus de illis, Nulla Unionis species
in tota rerum universitate ad Unionem Personalem quadrat,
proprietate quod non huic pars. æqualis Unionis modus in univer-
sa re datur, sed planè singularia & mystica ille sit.

§ 3. De hoc singulari ac mystico Unionis modo ad solum
Scriptura S. ductum cogitandum & ita pronunciandum est;
non consistere eum (i.) in οὐ γάρ αὐτοῦ μίξη confusionē & mixtione,
quæ ex duobus mixtis ac confusis fit aliquod tertium, sicut ex
aqua & mellis mixtione fit mulsum, (2.) nec in μετασόλην τρο-
πον quando alterum eorum quæ conjuguntur, vel aboleantur, vel
in alterum convertantur, sicut aqua in vinum convertebatur Job.
II. 9. (3) nec in Uniorum exagvatione. Omnes enim hi modi remo-
ventur à mysterio hoc, dum ita unitæ sunt duæ in Christo natu-
ræ, ut, sicut distinctæ & differentes sunt tamen Substantiæ, quæ pro-
prietatibus Essentialibus suis: ita etiam tales in ipsa Unione & post
eam sint ac manent. Unde post Incarnationem Christus verè
est, prædicatur & creditur simul Deus & homo, simul Patri &
nobis fratribus Consustancialis, alterum secundum & propter
Diviam, alterum verò secundum & propter assumptam Huma-
nam Naturam, p. 27. b.

V. Non tamen in remotione distinctarum U-
nionis ac præsentia specierum subsistendum est,
sed etiam quænam & qualis illa sit Unio, quæ inter
λογον f. Filiū DEI & Carnem assumtam interce-
dit, determinari debet. 28. b.

S. I. Scriptura non in ancipiū mentem nostram in hoc my-
sterio relinquit, sed quædam de mysterio hoc Spiritus S. in ea re-
velavit, quantum ad salutem in hac vita de hoc mysterio noſſe
ſuffi-

sufficere nobis judicavit, qvicioq; sit de curiositate hominum non nullorum, qvibus ansam inquirendi & involandi præscindere non potuit.

§. 2. Id ostendit Chemnitus toto Capite V, ubi ex Scriptura, testimoniis ea, qvæ ad descriptionem ac cognitionem Unionis Personalis pertinent, collegit & illustravit.

§. 3. Non enim Caput hoc inanis vel præcedentium repetitio, vel sequentium anticipatio est, qvō honoris genere pro ingenuitate sua *Danens in Exam. 1329.* istud mactat, sed dilucida, gravis ac egregia explicatio ac confirmatio, & uberior Definitionis Unionis Personalis, priori capite formatæ ac datae, deductio.

VI. Quatuor autem sunt, in qvibus formulis ratio & specifica differentia consistit Personalis Unionis, & qvibus ipsum Ἰόντειν ejusdem absolvitur. 1. Est Assumptio Carnis in Personam Filiī DEI. 2. Arctissima, indissolubilis, inseparabilis ac mutua Naturarū presentia. 3. Profundissima Naturarum αὐξέντις, & 4. Unius υφίσαμέν Constitutio.

§. 1. Non enim per sustentationem vel gestationem Naturæ assumtæ exprimi & explicari sufficienter hoc mysterium potest, *Chemn. p. 32. a.*

§. 2. Et unica qvidem est forma Unionis Personalis, ast uno vocabulo aut una phrasi commodè exprimi non potest, si non aliquid saltem de illa dici, sed ipsa Unio, quantum qvidem ex Scriptura de ea nobis revelatum est, explicari debeat. *Chemnitus* aliquot membra explicationis, doctrinæ causâ format *p. 29 seqq.* *Gerhard. in Exeg. §. 121. p. 1246. seqq.* recenset plura, qvæ omnia tamen ad ista quatuor reduci possunt,

VII. *Assumptio* est ejusmodi actus, qvō λόγος
B Huma-

Humanam Naturam in sua Personæ unitatem re-
cepit, & ita Naturam cœvit oīcō personavit pro-
priâ hypostasi communicatâ. Chemn. p. 29. a.

§. 1. Qvâ ratione Unio & Assumtiō alias differant, explicat
B. Gerbardus in Exeg. §. 135. p. 1270. Ut autem Assumptionis hæc in-
telligatur, probè ratio habenda erit Assumentis, Assumti, Terminis
ad seū in quem, & Forma seu Modi Assumptionis.

§. 2. Assumens est Natura Divina s̄. Aoyz s. Persona Filii DEI
subsistens ab æterno in Divina Natura, qvod ex Job. I. 14. Rom.
I. 3. Gal. IV. 4. probatur. Qvare autem secunda Persona Filius
scil. factus sit Homo, à priori sciri nō potest: à posteriori si consideratio
instituatur, aliquot cause ab Athanasiō & aliis Patribris ad-
duci solent, qvas recenset Chemn. de duab. Nat. c. II. p. 10. b. 11. a.
& b. & ex eo Meisn. de DEO in carne manif. 6. 65. Gerhard. in Exeg.
§. 104 p. 1221. Repetendum a. hic est, qvod c. I. Theor. II. §. 4. no-
tavimus, Divinam Naturam non absoluē h.l. considerari, prout ea
omnib⁹ tribus Personis communis est, sed relatiō & prout in secun-
da hypostasi S. Trinitatis nempe in Persona Filii DEI subsistit, id
qvod non l. all. tantum inculcavit Chemnitius, sed etiam saepius
repetit cap. II. p. 8. a. p. 9. a. p. 10. a. &c. XXIII. p. 159. a. & b. ex-
ponit, qvâ ratione Divina Natura assumserit Humanam Natu-
ram, nec tamen inde sequatur, totam Trinitatem eam assumisse.
Daneus in Exam. Chemn. ad c. IV. f. 1370. & 1371. si non erroris
saltē obscuritatis hoc nomine postulat Chemnitium, & non vult
concedere Naturam Divinam Filii DEI assumisse Carnem, sed
tantum Personam. Verū dōlosē agit, saltē ut veram Assum-
tionis hujus Naturam eludere possit, id qvod ostenderunt & pro-
lixē contra Calvinistas deduxerunt Hunnius contra Pézel. Tom. I.
Opp. f. 341. Rungius Disp. II. Anti Calv. 6. 5. seqq. p. 23. seqq. Hutter.
in F. C. Art. II X. c. 2. p. 734. seqq. Meisn. in Disp. de DEO in carne
manif. 6. LXVI. Gerhard. in Exeg. p. 1230. seqq. Gravver. Art. III.
& C. p. 9. seqq. Weller. Disp. VI. part. 2. Anat. Masson. 6. 12. p. 236.
Sciri autem ac notari debet, Divinam Naturam Chemnicio in-
phrasit hac esse Concretam Nature, & idem denotare, ac Perso-
nam

nam & λόγος constantem ex Divina Essentia & certo modo ὑπάρχει, sicut Damasc. lib. III. de O. F. c. 6. ait: Φύση τὸ λόγος λέγοντος αὐτὸν τὸν λόγον συμβαίνει. Nimisrum, Et si Assumptionis Carnis duo includat (1.) Communicationem τοσούτως unde Unitas Persona & τοσούτως vel subsistentia in uno θεαύποτε Communitas oritur. (2.) Unionem, quā Caro assumta est à λόγῳ ut Unionem haberet cum Divina Natura. Et verò qvoad Unionem rectè ac orthodoxè dici possit, (qvicquid hic etiam Calviniani & imprimis Neo-stadienses clamant) Naturam Divinam in Abstracto esse unitam Humanam Naturam h.e. eam se Humanam Naturam univisse, vel τὸν λόγον univisse Naturam suam Divinam Humanam Naturam, ut perpetuam cum eo Unionem haberet, sicut Estius in l. III. sentent. Disp. V. rectè id exponit, & ex Col. II. 9. Orthodoxi DD. nostri erare solent, de quo vid. Fex verb. fasc. II. Disp. I. θ. 52. p. 15. tamen tota phrasis immediatè Communicationem Hypostasew̄ importat quæ persona τὸ λόγος competit non quā Essentiam habet, sed ratione certi modi τοσούτως, & facta est ad Unitatem Persona & Communitatem τοσούτως in Persona οὐδέτερω.

S. 3. Assumptum est Humana Natura, non (1.) prout in Ideā, mente concipitur, nec (2.) prout in tota specie omnib⁹ Individuis communis est, sed (3.) prout consideratur εἰς τὸν ἀτόμων una certa individua massa, ut Chemni. c. 1. p. 2. a. & ex eo Gerhard. in Exeg. S. 95. p. 1214. notarunt, quæ in se ēνυπόσταση est, & propriā subsistentiā caret. Unde ἀνύπολος ista non in Patribus modo, sed etiam nonnullis recentioribus Theologis deprehendi solita, quā Hominem assumptum esse dicunt, benē à Chemnitio c. XV. p. 100. fuit notata, item à Gerhard. in Exeg. S. 96. & Dnn. Theolog. Saxonici in Apolog. contra Tübingerſes ſc̄. I. c. IV. p. 55. 56. Ut autem aliás semper Humana Natura aliquius Individui natura est, cuius proprium, subsistere in certa aliqua hypostasi, quæ distincta est proprietate quādam Characteristica à reliquis ejusdem Naturæ hypostatalibus: tamen illa massa Naturæ assumpta non per se substituit, ante Unionem, inquit Chemni. c. V. p. 29. sed dependentiam suam ad λόγον habuit, in quem etiam assumpta fuit. Nimisrum non hic respiciendum est ad naturalem ordinem, sed ad singularem & novam

DEI operationem, per quam subsistētia propria, aliā ex singula-
ritate ordinaria Humana Naturā fluens, per additionem præ-
stantioris Personalitatis fuit impedita, uti id *Chemn.* latius expo-
nit ac probat ex *Ebr. II. 14.* & omnibus illis textibus, in quibus
Filius Dei, de assumpta Humana Naturaloquens, eam vocat sūym
Corpus suam Animam suum Sangvinem *Ebr. I. X. Job. VI. Marc.*
XIV. Matth. XXVI. Job. XX. Luc. XXIV. 1. Cor. XI. 1. Job. I.
Longè enim alia est *Appropriatio*, qvā Filius Dei sibi Carnem &
Sangvinem nostrum tribuit propter *Creationem* & propter *Re-
demtionem*; & qvā per *Affumptionem* nostrum Corpus & Sangvi-
nem sibi appropriat, & suum Corpus ac suum Sangvinem appellat.
Prolixè hæc exponunt *Chemn. c. VI. p. 44. b. & 45. a. B. Hunnius contra Pezelium Tom. I. Opp. f. 339. Gerhard in Exeg. S. 93. p. 1213 Meissner. in consider. Theol. Photinian. c. IV. Art. 2. p. 59. Gravver. Art. III. A. C. p. 13. & 25. ac seqq.*

S. 4. *Terminus ad seu in quem assumta est Humana Natura*,
non est Natura sed Persona δ οὐδέτερος. In Unitatem enim Personæ
Iuæ Filius Dei assumpsit Carnem p. 25. a. Unde quando Natura
Humana dicitur assumti in Personam, tunc non intelligendum
id estratione Natura: sic enim fieret commixtio; Sed ratione
subsistētia. οὐ φύσις μεν ενī non est ipsa Natura, sed est Ens quod
habet Divinam Naturam cum certo modo Personalitatis. Et hæc
causa est, quod non possit dici: *Deitas est Humanitas, nec: Hu-
mana Natura est Deus, verè autem dicatur: Deus est Homo*: qvia
Unio facta est, non in Naturis sed in Personis, uti id *B. Menzer. in
Anti Mart. p. 355.* explicat. Vid. *B. Hunnius contra Pezelium Tom.*
I. Opp. f. 343. Meissner. de DEO in Carne manif. b. 99.

S. 5. *Modus assumptionis* est μονότροχος καὶ ἑσπερός, ut supra
ex *Jusino* & *Epiphanio* annotatum fuit, & juxta *Augustinum*, mi-
rabiliter singularis & singulariter mirabilis, unde à nobis exactè
determinari non potest. Scriptura *Ebr. II.* exponit ἐπίληψιν hanc
v. 14. per nōwīav & receptionem in societatem, ut & per μετάχυ-
& participationem, & quidē talēm, qualis in conceptione puer-
rum esse solet, ubi Carnis & Sangvinis humani à Parentibus ita
participes fiunt, ut homines & ipsi dea existant. Unde per assump-
tionem

tionem hanc Filius Dei verè Homo factus est, Job. I. 14. (Confer cap. IX. p. 12. a. & b.) & vicissim Caro ἦν θάνατος ut Antiqui Pares loquuntur, (de quā phrasē c. XXVII. p. 213. Chemnitius monuit,) Deitatis non solum per Essentiam & Gratiam, sed etiam personaliter inhabitantis & unientis, particeps facta est. Melioris intelligentiæ causā notari debet, Assumptionē hanc (1.) respectu Assumentis & Assumti non esse æqualem, sed qvoad prius Attivè sele habere, qvoad posteriori verò Paffūt. Persona enim Assumens assumit aliquam extra se Naturam, Humanam scilicet: Humanam autem Natura non assumit, sed à Persona & in Personam est assumta, uti c. XIV. p. 93. a. Chemnitius id exponit, & inde ostendit, rectè qvidem dici: Deus factus est homo: incommodè autem & impropiè: Caro Christi facta est Deus. Qvod etiam in Casibus Conscientiæ observavit & monuit B. Baldinus l. 2. c. 2. Cas. IIX. p. 101. seqq. (2.) Assumptionem hanc esse æqualem Corporis & Animæ, & non priùs Carnem postea Animam, aut vice versa, priùs Animam postea Carnem, Filium Dei assūmisce, sed utrumq. immedietè sibi univisse, de quo vid. Gerhard. in Exeg. §. 136. p. 127. Menzer. Disp. II. Martinii Elenchom. in Corollar. p. 57. Meissner. de Dīo in Carne manif. §. 49. 50.

Noētūtū.

Humana Natura ad S.S. Trinitatis Consortium pervenit.

§. Non (1.) essentialiter sed (2.) personaliter & mediante Personā τὸ λόγον, ac quia subsistentiam suam habet in Persona τὸ λόγον, quæ est secunda Persona Trinitatis. Hoc Chemn. non tantum explicat c. XXII. p. 140. sed etiam totum c. XXVII. p. 212. seq. huic rei impedit & tām eos qvi in excessu quām qvi in defectu hīc peccare soleant, redarguit, totamq; rem ac phrasin ex Orthodoxis Partibus explicat.

IIX. Præsentia duarum Naturarum in Persona Christi non tantum mutua est, sed etiam adeò

as & a, indistans & inseparabilis, ut Persona τελός extra assumptam Naturam, & sine ea separatim auctoritatem nec piè nec rectè vel cogitari vel credi nūc possit ac debeat. *Chemn. p. 29. b. 30. b. & 31. a. 41. a. b.*

§. 1. *Hypostatica Unio non admittit, inquit Chemn. p. 30. b. Separationem vel absentiam alterius naturae ab altera, quia si alicubi seorsim posita, sed complectitur presentissimam presentiam Unitarum Naturarum inter se &c. Agitur autem hic de praesentia intima ut facta est, & ad ipsam Unionis formalem rationem pertinet, non ut durat & Unionis consequens est.*

§. 2. *Ut verò Unio & Assumptio ita & Praesentia non aequaliter habent, sed differunt ut latius & angustius; & plures dantur Divisiones Praesentiae & Inhabitationis modi, de quibus Chemn. c. V. p. 28. pridem, C. VII. p. 47. b. & seqq. copiosius agit. Dn. Theologi Saxon. in solidis decis. Controv. Tubing. c. I. p. 3. seqq. Feyverborn. Disput. XXIII. & XXIV. Tom V. Marpurg. p. 341. seqq. & Fast. I. Disput. II. p. 122. D. Dorste in prefat. Anti Cogentii. Hos explicare & distinguere omnino expedit, ut de ipsa Unione Personalis aliquid intelligi possit, praesertim, quia Unio Personalis per esse in & cum Christo secundum Carnem describi solet, Act. X. 38. 2. Cor. V. 19. Non enim ita Deus s. Filius Dei, est in carne assumta (1.) sicut omnibus creaturis adest, quae universaliter Praesentia appellari solet: nec (2.) sicut credentes in hac vita inseparabiliter inhabitat, quae gratiosa dicitur: nec (3.) sicut Angelis & Beatis in altera vita praesens est, quae gloria vocatur: nec (4.) sicut Verbo & Sacramentis in Ecclesia adest, quae mystica & Sacramentalis: nec (5.) prout vel certis symbolis olim in V. T. se praesentem dedit, vel in Prophetis ac Apostolis fuit, quae à Damasco προσωπική appellatur, ut Chemn. p. 46. b. notavit: sed (6.) singularissimè, hypostaticè ac Personaliter, quae per & propter Personalem ωντης φύσης Filii Dei ita praesens est assumpta Naturae, ut extra eam nunquam sit, sed ubiunque ille sit, sive in celo sive in terris apud Creaturas, ibi tamen nullam Creaturam sibi proximiorem & intimiorem habeat,*

beat, quām assumtam humanitatem, quā præsentia à B. Hunnio
intima appellatur & est τὸ λόγος ad Carnem assumtam, ac ita appellat-
latur ad differentiam alterius, quā extima dicitur, & est Carnis as-
sumta ad Creaturas, de quā Distingu. Chemn. c. V. p. 30. b. scribit:
*Præsentia τὸ λόγος in Carne assumta, ac vicissim præsentia Natura as-
sumta in λόγῳ seu apud & penes Divinam Naturam assummemus, 1010
genere differt à præsentia, quā vel λόγος reliquis creaturis præsens
adest, vel reliquo creature præsentes sunt τὸ λόγος. Vid. Menzer. in
Diff. de Controv. Theol. θ. 50 seqq. in Necessar. & justa defens. p. 147.
in Anti Martin. p. 410. Gerhard. in Exeg. §. 218. p. 1394. Feuerborn.
in oratione. Diff. I. θ. 4. Diff. VII. θ. 2. seqq. p. 205 seqq. maximè verò
in Diff. de Jecyphōrū præsentia universali & generali θ. 2. seqq. Tom.
V. Diff. Marpurg.*

S. 3. Et quidem Veterum Synodorum pbrasibus Præsentiam
hanc Naturarum mutuam exponit Chemnitius, & non sine causa
Damasceni terminum adiaceret addit, eumq; hoc velle
notanter ponit, quod nullo locorum spatio, intervallo aut inter-
capidine à se naturæ distent sepositæ.

S. 4. Nimirum terminus adiaceretas excludit omne inter-
vallum Naturarum, ita ut Caro nunquam & nullibi sit extra λόγον,
etiam ubi ex proprietate Natura sua non est præsens, & ubiubi λόγος
sit, nullibi tamen extra Carnem statui, quare aut credi debeat, et
quod Caro sit assumta in λόγῳ citra omnem respectum loci, & ut
Apolog. F. C. cap. III. p. 60. loquitur: Non distanter sed indistan-
ter adiaceret ut Damascenus loquitur, l. III. c. 3. h. e. citra loco-
rum intervalla sibi sunt unitæ Naturæ in Christo.

S. 5. Calvinista, uti ex Danœ (qui Bezan, Neostadienses, An-
haldinos, Zanchium, Pezelium, Sobnium & ceteros suos fratres o-
mnis, hic habet) in Examine l. Kemnitii f. 1371. T. II. Operum, co-
gnoscimus, utut non videri velint adiaceretas duarum Naturarum
in Christo, negare, reverè tamen dicentes faciunt. Etsi
enim concedant Unionem inseparabilem & indissolubilem esse
in eo, quod nunquam homo iste sit, quin sit etiam Deus, nec Dei
Filius unquam esse possit, quin idem quoque simul sit homo: Ta-
men dum negant, ubi Divina Natura est, ibi etiam esse Humanam
Naturam & simul eodem loco existere Humanam Naturam cum
Divi-

Divina, qvid aliud hoc ipso agnunt, qvam ut $\alpha\delta\alpha\sigma\sigma\tau\alpha$ negent, saltem in relatione & conceptu ad Prædicamentum Ubi? Quomodo enim $\alpha\delta\alpha\sigma\sigma\tau\alpha$ Caro Christi $\lambda\gamma\omega$ adesse potest, & tamen non est ubi $\lambda\gamma\omega$ est? Quæ Daneus de multiplicatione, dilatatione, coextensione, effusione naturæ humanae, & exemplo pedis, qui hypostaticè unitus sit capiti, & tamen non æqvè atq; caput distenditur, profert, crassa & Carnalia sunt, & satis produnt crassam Unionis Personalis ignorantiam, quod latè contra Pezelium B. Hunnius Tom. I. Opp. f. 353. & seqq. frictius vero B. Rungius Disp. II. AntiCalv. b. 18 p. 30 seqq. B. Menzer. in AntiMartin. p. 335. seqq. ostendunt. Quomodo Crocius in Defens. part II. Convers. Prutenice explicet & defendat phrasin hanc: $\delta\lambda\gamma\omega$ est extra Carnem per illam: $\delta\lambda\gamma\omega$ est ultra Carnem, & quid involvat ac velit, ac quomodo ipsum Unionis mysterium annihilet, probavit contra eundem Crocium B. Menzer, in Respons. ad defens. istam c. XVII. p. 160. seqq.

§. 6. De voce $\alpha\delta\alpha\sigma\sigma\tau\alpha$ notari debet, quosdam Theologos modernos eam de propinquitate $\lambda\gamma\omega$ & Carnis $\lambda\gamma\omega$ unitæ ad Creaturas, etiam accipere & interpretari. Sed Dn. Theol. Saxon. in Apologia contra Tübingens. toto c. V. Seet II. p. 169. & seqq. ostenderunt, novam hanc esse acceptionem hujus vocis, & Patres Constantinopolitanos sicut & Damascenum I. III. de O. F. c. 3. hanc vocem non nisi ad intimam Naturarum Presentiam accommodasse & ostendisse, $\lambda\gamma\omega$ non usquam aut uspiam esse extra Carnem suam, nec ullam Creaturam ei tam propinquam, qvam suam Carnem esse, & nequaquam in uno tantum loco in Carne esse & infinitis aliis extra Carnem. Sola enim Præsentia intima $\alpha\delta\alpha\sigma\sigma\tau\alpha$ est propriè, cum omnis Præsentia ad extra, non sit $\alpha\delta\alpha\sigma\sigma\tau\alpha$ hoc ipso, quia ab extra, quia alterius generis, & inter alia extrema est. Vid. etiam Gerhard. in Exeg. S. 218. p. 1393.

**IX. Περιχώσης Naturarum est ejusmodi;
actus, qvō $\lambda\gamma\omega$ assumens, Naturam assumtam
ita.**

ita penetrat & permeat, ut nihil in eâ, velut lumen
ne accensa sit, qvod non λόγω sit repletum:
p. 31. b,

§. 1. Non enim dux Natura in Christo sibi invicem tantum
præfentes sunt, & conjunguntur per fidem attigentiam & affi-
stentiam, sicut Angelus ad stat lateri Petri: vel sicut dux diversorum
metallicorum laminae conglutinantur; sed sicut ignis ferrum & ani-
ma corpus penetrat, ut illud ignitum, hoc vero animatum fiat un-
diqui: ita etiam λόγος permeat ac pervadit penetratq; Carnem,
ut tota fiat θεωρία Deificata, qvæ Cyrilli & aliorum Patrum phra-
sis est.

§. 2. Hanc phrasin, de qua suprà Membr. I. Theor. IV. §. 1. p.
169. notavimus, à Damasco mutuò hic sumitam, rectè ex Da-
masceni mente & intellexit & applicavit Chemnicius, ut fru-
strà sit Daneus, qvi prolixo conatus f. 1403. seqq. id negat. Non e-
nim ad effectum tantum Unionis Personalis & Communicatio-
neni Idiomatum, & ad nudam εὐαλλεγήν ὑπομέτωπa applicat eam
Damascenus, sed etiam ad ipsam Unionem. Ex multis textibus
sufficiat nunc unicus. Ita autem Damascenus l. III. de O. F. cap. 5.
Quae Humana sunt, Verbum sibi attribuit, & propria facit, &
tradit Carni sua κατὰ τὸν τῆς ψευδόθεου τεῖχον διὰ τὸν εἰς
ἄλιτρα Τὸν Φύσεων περιβάλλοντος, καὶ τὴν καθ' Ταῖς γενεσίν εἴων
hoc est, secundum alterne sive mutue attributionis modum,
propter Naturarum ad se invicem permeationem & secundum οὐ-
σιῶν Unionem. Et l. I. c. 16. ή Θεῖα Φύσης αὐταῖς περιβάλλοντος
καὶ ἐδωλεὶ κατὰ τοὺς πεδὸς αὐτὴν περιβάλλοντος περιβάλλοντος, ἢν δὲ εἴω-
ντι λέγοντες: Divina Naturā semel permeans per Carnem, dedit Carni
ad ipsam ineffabilem permeationem sive immanentiam: Quam pro-
fecto Unionem dicimus.

§. 3. Non autem in ipsa voce περιβάλλοντος arcem suæ cau-
ſe

ſe Chemnitius collocat, uti Daneus in Examine f. 1403. cavillatur, sed ipsam voce rem hac significatam probat (1) ex Apostolo qui Col. II. 9. de Divina Natura Filii DEI & omni illo, quod in ea est, vel ad eam pertinet, enunciat, quod habitet in Christo in assumptione. scil. Naturam τωματικῶς h. e. sicut in Corpore humano anima inhabitat non mixta, nec divisa, sed κατὰ τὸ οὐχίσθησιν. Chemnit. pag. 31. b. & 41. a. qui etiam Cap. IX. pag. 35. a. & b. 54. a. ex Orthodoxis Patribus ita interpretatur hunc locum & ostendit, quomodo ex h. l. Unionem hypostaticam appellariunt ὡμέτων, & dixerint; Deitatem assumptione corporis s. Carnis esse corporis. (2.) Ex signo, quod est gloria resplendens ex hoc Corpore Matth. XVI. 2. ac Virtus therapevtica per Carnem sese proferens Luc. V. 17. VI. 19. II. 46. Ut enim vi τὸ οὐχίσθησιν Naturalis, animæ facultates per corpus sunt dispersæ & sese proferunt: ita etiam vi τὸ οὐχίσθησιν supernaturalis & Personalis, Caro Christi ita plena fuit Divinæ Virtute, ut hæc per eam sese exeruerit, & ab omnibus in illa deprehendi potuerit.

S. 3. Aliud autem est τὸ οὐχίσθησις & Circumintersio s. Immeatio, aliud σύγχυσις Confusio & Commixtio. Id quod Chemnitius c. VI p. 41. ostendit ac probat partim à definitione confusionis, partim ab exemplis. Ubicunq; enim res unita, earumq; proprietates ac differentiae manent integræ atq; salvæ, ibi non est confusio. Jam in τὸ οὐχίσθησιν hac Naturarum, integræ ac salvæ manent duæ Naturæ, earumq; Proprietates ac differentiae, uti ab initio cap. I. p. 4. istud Chemnitius monuit & per totum librum repetiit; Insuper de τὸ οὐχίσθησιν animæ ac corporis, ignis & ferr, irationi etiam manifestum est, salvam manere in illis Naturarum differentiam.

X. Copulantur autem, præsentes sunt & ministrum permeant duæ Naturæ ad unum in Christo συγκένεον constituendum. Chemn. p. 30. a.

§. 1.

§. 1. Non enim una Natura tantum adest alteri, Divina Humana, sicut Spiritus S. adest v. g. Paulo, ubi manet Paulus distincta persorsa à Spiritu S., sed ita uniuntur duæ illæ Naturæ, ut Humanæ Natura intra ipsam ~~τοῦ οὐν~~ ac ~~κοινωνίαν~~ Filii Dei veniat, & ambæ unam Personam Filii incarnati constituant. Unde Christus non est tertium quoddam distinctum à naturis, sed persona $\sigmaύνθεσ$ qvæ nihil aliud est, qvam ipsæ due nature unite.

§. 2. Probatur hoc (1.) ex omnibus illis locis, in quibus dicitur *Unus Rom. V. 15, I. Cor. IX. 6, I. Tim. II. 5, &c.* Eisti enim in Christo sunt *duæ Natura*, non tamen *duæ Personæ* aut *duo Filii* sunt, qvia Christus non est $\delta\alpha\gamma\theta\epsilon\tau\alpha\mu\gamma\alpha$ $\alpha\lambda\lambda\theta\epsilon\tau\alpha\mu\gamma\alpha$, licet $\alpha\lambda\lambda\theta\epsilon\tau\alpha\mu\gamma\alpha$ $\alpha\lambda\lambda\theta\epsilon\tau\alpha\mu\gamma\alpha$ i. e. secundum Divinam & Humanam Naturam consideratur. Vid. Menzer. in AntiMart. p. 351 & Gravver. in Art. III. A. C. p. 76. ad 81. (2.) ex Pronomine *Ego* à Christo usurpato, quoties de se sive tanquam Deus loquitur, Job. IX. 58. sive tanquam Homo Job. XVI. 16. 17. Qvod propter Operationem inhabitantis Gratiae de se usurpare non potuerunt Apostoli. Act. III. 12. Gal. II. 20. 1. Cor. XV. 10. p. 30, 40.

§. 3. Qvod autem de unius $\nu\phi\iota\varsigma\mu\epsilon\nu\omega$ constitutione hic dicitur, non ita accipiendum est, qvali $\lambda\gamma\theta\epsilon\tau\alpha\mu\gamma\alpha$ ante Incarnationem non fuisset $\nu\phi\iota\varsigma\mu\epsilon\nu\omega$, semper enim hic distingendum est inter $\nu\phi\iota\varsigma\mu\epsilon\nu\omega$ *perfectum*, & inter $\nu\phi\iota\varsigma\mu\epsilon\nu\omega$ *Compositum*. Fuit omnino $\lambda\gamma\theta\epsilon\tau\alpha\mu\gamma\alpha$ ab æterno *perfectum* $\nu\phi\iota\varsigma\mu\epsilon\nu\omega$, & non demum id esse coepit in incarnatione; Verum *simplex* fuit, & in una Natura substitutus per Incarnationem verò hoc $\nu\phi\iota\varsigma\mu\epsilon\nu\omega$ *simplex* ita sibi propriam fecit Carneum assumtam, ut jam ex & in duabus Naturis constet & subsistat, & non tantum sibi adjunctam habeat Humanam Naturam, sed cum illa *unum* $\nu\phi\iota\varsigma\mu\epsilon\nu\omega$ *Compositum* constituant. Qvibus observatis omnia illa qvæ hic *Daneus* in Exam. f. 1381. cæteriq; ejus socii movent, facillimo labore possunt solvi. Non enim ipsa *personalitas* dicitur $\sigmaύνθεσ$, sed

(1.) *personas*. totum suppositum, quia est compositum ex una
subsistente & duabus Naturis coëuntibus in unam illam ²⁰⁰
scav. (2.) non ut ante *Incarnationem* fuit, sed prout jam post eam
est, & subsistit simul in *Divina & Humana Natura*

Vid. Rungius Disp. II. AntiCalv. §. 15. seqq.

P. 28. seqq.

F I N A N C E



AB 42 3
i, 9

VOA 17



	8																		
	7																		
	6																		
	5																		
	4																		
	3																		
	2																		
	1																		
Inches																			
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

FarbKarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

IS AD LOCOS
emnitii,

TIO XI.

PERSONALIS
ESSENTIA,

CARPZOVV SS. Theol.
ico, & ad D. Thomę
te;

me,
BERG, von Colberg/
meridianis Anni 1648.
ur.

LA,
SIGI CÖLERI.

2